

Bibliothèque numérique

medic@

**Nolin, Claude - président. - An
Hydropi Hydrag?ga.**

s.d..

Reims

Cote : ms 78 n°60

TANT A jam felicitate sub tui nominis auspicijs, COLENDISSIME PATER, partorum olim à te in hac percelebri academia triumphorum recordatione audacior factus pugnam iniui, ut cum ipsam rursus tentare mihi incumbat, statim ad idem praesidium confugere nihil mihi sit expeditius: hoc fretus auxilio nihil quidquam reformidandum habeo, cedunt quippe omnia nomini tot virtutibus (quibus nulli non *Prepoller*) illustri: nomen tuum saustum mihi omen est: si quam ergo ex hoc, ut spero, certamine gloriam consequar, totam tibi merito, libentissimèque, ut tibi soli debitam, consecrabo, tuasque laudes indefinenter celebrans pro tua prosperitate & incolumitate vota vouebo futurus in aeternum

Tui Obsequantissimus Filius GUILLELMVS LE ROYSEL.

QVAESTIO MEDICA.

60.

Cardinalitjs agitanda disputationibus in Antonianis Medicorum Remensium Scholis, moderatore Clarissimo Viro M. CLAUDIO NOLIN, Doctore & Professore Medico, die nona Septembris, horà octauà marutinà.

An Hydropi Hydragoga.

VENTREM infimum (quem per antonomasiam *uenter* appellant) intus efformat peritonæum varijs circumundiquaque obvallatum partibus; supernè quidem cartilagine xyphoide, nothis colitis, & diaphragmate; infernè pelue ossea ex osium pubis, ilium, & sacri compage extructa: retrò musculis, & vertebris lumborum; antrosum musculis duodecim ad excrementorum, ac fœtus expulsionem, testibusque suspendendis inferuentibus: in toto demùm ambitu quinque communibus integumentis. Ventriculus sedes famis & sitis, *stomachus* officina vmbilicalem (paulum tamen ventris sinistram hypochondrium inclians) occupat regionem. Huic substermitur pancreas infinitorum morborum cum mesenterio & epiploo hospitium, vnde medicis meritò accusantur istæ partes tanquam sentina corporis, à qua omnis ferè primæ regionis impuritas deriuatur. Intestina Chyli distributionem, sordidumque expulsionem motu suo peristaltico promouent. In dextro hypochondrio sub nothis colitis situm est securum numeris venis à caua & porta per ipsius substantiam disseminatis repletum, ut ab his exportatum impurum crudumque sanguinem, per illas, puriorem jam redditum & defæcatum, tanquam fidelis officio ministris defunctum ad cauam deponat cordi distribuendum. In sinistro jacet lien, quem fœci sanguinis expurgandæ dicatum esse docent frequentes ejus obstruções, scirrhosique tumores.

MORBORVM Iliadi obnoxius est venter, sed plerumque totus intumescit, modò ex contentarum partium tumore, aut abscessu; à flatibus interdum, ut in tympanite, licet raro; frequentius serosa quadam & aquosa illuue, nonnunquam in omenti cavitare, sæpius inter intestina & peritonæum præter naturam collecta, vnde fit hydrops, qui ascites vulgò nominatur. In hoc totum corpus, abdomine solo paulatim in ingentem molem exrescente, suo fraudatum genio contabescit, & emarcescit. Impulsus venter, aut in alterutrum latus prouolutus, sonum veluti fluctuantis humoris exhibet: cuius si portio quedam in crura, pedesque, & scrotum, maximè post ambulationem decumbat, non leuem in ipsis tumorem parit. Tandem si diutius in ventre stabuletur, nec primis statim diebus exitum habeat, longiore mora putrescit, putredineque partes vicinas contaminat, sicque *peruenit* ad thoracem, vnde tussis, quæ, iuxta diuini Senis oraculum, lethalis est; nam bronchia aqua plurimum impleta suffocantur; quamquam sicca interdum tussis oriatur à tumido hepate, quod pondere suo trahit deorsum diaphragma, aut oppresso quoque eodem septo transuerso molem materiz præsertim à cibo. Sitis plerumque comes est inextinguibilis, cum cibi fastidio, lentæque febre, ob salum & putridum humorem circa viscera collectum.

TANTI symptomatis non aliò querenda causa quam in ipsomet hepate, modò per se, modò per consensum laborante. Primarij ejus affectus sunt ingens refrigeratio ab eo omni inducta quod calorem natuum exstinguit, aut spiritum dissipat. Obstructio omnis (frequens admodum propter succorum continuò ad hepar permeantium crassiciem & cruditatem) præcipuè verò contumax & inueterata, quæ ab humore multo, lento, aut crasso, siue sit bilis à calore crassior reddita, siue crassa & viscida pituita, fieri solet. Scirrhus denique, quo nulla in ascite producendo causa frequentior exiit, siue quod jecore penitus obstructo serosior tantum & aquosior sanguinis pars per ipsum transcolari possit (vnde tanta seri copia, & probi sanguinis inopia) siue quod exarefacta prorsus hepatis substantia nimis quibuldam dehiscens, serumque amplius continere non potis in abdominis vacuum sinat elabi. Laborat hepar per consensum ventriculi nimis refrigerati, lienis obstructione, scirrhove detenti, male affectæ vesicæ fellæ, renum quauis de causa serum non expurgantium, vnde fit reffluxus ad ventrem, vno verbo partium (publicarum maximè) suis munis non rectè defungentium. His omnibus si partium, aut vasorum humores continendum solutam continuatè addideris, nulla non erit assignata vera hydropis causa.

PERICVLOSVS sanè affectus hic à quacunque causa ortum suum duxerit, tum ratione jecoris affecti, tum ratione virium probi alimenti inopiâ deficientium; cuius quidem inueterati frustranea, incipientis verò operosa curatio: quæ tota tamen consistit in causæ antecedentis amotione; & conjunctæ euacuatione. Frigida ergo jecinoris intemperies (si adhuc spes salutis affulget) corrigenda calidis roborantibus, tum sumptis, tum admotis, quibus addenda plerumque modicè aperientia & detergentia, propter obstructionem ab excrementorum prouentu fieri solitam. Solutur obstructio venæ sectione, vacuantibus per aluum, per vrinas, & sudores, præparatis prius humoribus per ea quæ mediocriter astringendo incidunt, attenuant, detergentque, non neglectis interim linimentis, & fomentis in causa frigida, in calida verò epithematis, præscripta quoque ad id conuenienti victus ratione. Scirrhus inueteratus non attingendus, ne infametur præsidia quæ multis fuisse salutis: incipienti (licet difficulter) occurrì potest, tum sumptis primò incidentibus & attenuantibus, dein præparatum humorem expurgantibus; tum admotis emollientibus & aperientibus, leniterque adstringentibus. Denique si ventriculus, aut lien, cæteræque partes primum mali dederint initium, conuenientia singulis ipsarum affectibus decernenda remedia, ab ejus semper morbi auspiciata profligatione, sine quo alacris curatio nequit compleri.

CAVSA conjuncta (metu inflammationis & gangrenæ, quam inducunt longiore mora putrescentes aquæ) ipso statim initio vacuantibus, reuellentibus, & deriuantibus; nec non dixit summovenda (curatio quippe à symptomatis ipsiusmet causâ longè calamitosioris correctione inchoanda.) Victus itaque ratio sicca sit & attenuans, absque potu, qui non vltra concedi debet, quam ut vitam sustineat, navigatio quoque marina inutilis non videtur. Ad vacationem nulla hydragogis præstantiora remedia, quæ vacuando simul, & reuellendo aquas hydropicorum mire per aluum exhauriant (maximè si quedam ipsis phlegmagoga ad crassiorum humorum expurgationem immisceantur) eâ tamen præcautione, ut non nisi blanda, & per intervalla, paribusque diebus usurpentur pharmaca. Reuulsio per diuretica procuranda: deriuatio verò per sacculos, cataplasmata, aut alia ejuscemodi humores absorbentia. At si nec istis præsidijs dimoueanur, administranda Paracentesis (in hydropie sinabili) quatuor digitis infra, & ad latus vmbilici deuitatis musculorum abdominis aponeurosis, sensimque aquæ deducendæ metu mortis, idque morbi principio, antequam ipsarum corruptione viscera syderentur, virtusque deiciantur, & ubi per hydragoga medicamenta tam per clysteres, quam per cathartica exhibita, nihil profectum est.

Ergo Hydropi Hydragoga.

L.S.P.
GUILLELMVS